

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
e autenticare un privilegio
di Carlo Duca di Calabria*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
e autenticare un privilegio
di Carlo Duca di Calabria*

1326-11-26

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis eiusdem, millesimo trecentesimo vigesimo sexto, Die sexto mensis novembris, decime inditionis. Apud Giracium. Regnante serenissimo Domino nostro Rege Roberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie et Folcalquerii, ac Pedemontis Comite. Regnorum suorum anno octavo decimo feliciter amen.

Nos Fulco Luciferus iudex civitatis Giracii, Nicolaus de Sancto Paulo regius publicus notarius, per totum Iustitieratum Calabrie ordinatus, et testes infrascripti ad hoc vocati specialiter, et rogati, presenti publico instrumento notum facimus, atque testamur. Quod nobilis Domina, Domina Catharina consors viri nobilis Domini Guglielmi Ruffi de Sinopolo, ducalis cambellani, et familiaris faciens nos ad sui presentiam venire, ostendit nobis, et publice legi fecit quoddam privilegium ducale, sigillo ducali vicarie pendente, de cera rubea sigillatum, et rogavit nos, nostrum qui supra iudicis, et notarii officium implorando, et testes subscriptos, ut cum oporteat ipsum scriptum ipsius privilegiis per suum nuncium ad ducalem excellentiam transmittere, ut de originali ipsius privilegii, ducali excellentie possit fieri plena fides, ne in mittendo ipsum originale privilegium, sinistrum aliquod possit casualiter evenire, ipsum originale privilegium transcribi, et in publicam formam redigi faceremus. Nos vero ipsius Domine Catharine petitionibus iustis, et rationi consonis, annuentes quia sua intereat, et vidimus privilegium ipsum fore in prima sua figura, non abolitum, non cancellatum, nec aliqua parte sui fore vitiatum, sed sigillatum, noto, et consueto sigillo ducali vicarie,

ipsumque originale privilegium mei qui supra iudicis, iudiciali autoritate interposita, de verbo, ad verbum exemplari, et in formam publicam redigi fecimus per manus mei predicti notarii, nihil in eo addito, mutato, vel diminuto, quod sensum immutet, vel intellectum, excepto forte littera, vel syllaba que sensum immutare non potest.

Unde ad futuram memoriam, et dicte Domine Catharine cauthelam, et ut de dicto originali privilegio, fides fieri valeat apud omnes, factum est exinde presens publicum intrumentum scriptum, et subscriptum per me notarium supradictum, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis sigillo, et subscriptione, et subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum. Dicte Domine Catharine precibus, et rogatu. Scriptum anno, die, mense, loco et inditione premissis. † Ego Fulco Luciferus qui supra iudex civitatis Giracii testor. † Ego Malgerius Balderi testor. † Ego Nicolaus Blasius testor. † Ego Enrico de Amantea testor. † Ego Iacobus de Episcopo testor. † Ego Rubertus de Neapoli testor. † Ego Ioannes de Franchica testor. † Ego Ioannes de Bernardo testor. † Ego Nicolaus de Tarsia testor. † Ego Petrus de Giracio testor. † Ego Thomasius de Amoroso testor. † Ego Guglielmus domesticus giracensis testor. † Ego Franciscus Rago testor. † Ego Guglielmus Drongari testor. † Ego notarius Gualterius Arenuso testor. † Ego Nicolaus de Sancto Paulo regius publicus qui supra notario predicta scripsi, et me subscripsi.